

rum Provinciis & dedicatæ. Non eadem felicitas cum devoluto ad eos per Parentem Imperio obtigit filiis tribus, Constantino, Constantio & Constanti, nominis sui oblitis, & inconstantibus, discordibusque & ut solet in partitione regnorum sibi æmulis successoribus. Hinc armis Constantis cæsus Constantinus; perfidia Magnentii occisus Constans, & Constantius Arriana infectus Hæresi in ipsis Juliani motibus diem clausit supremum. Quid ego multa de Carolo M. commemorem? qui inauditum à morte Augustuli in Italia Imperatoris nomen primus restituit, & Imperatoriam Majestatem Occidenti iterum vindicavit, postquam à Senatu Populoque Romano primum Patricius, deinde Augustus fuisset appellatus. Saxoniam ille nunquam antea armis subactam vectigalem reddidit, sacrisque imbuit Christianis; Triumphos deinde & venerationem Italis inferens, statuam ante aram Divi Petri meruit, cui capite nudo, genua prætereuntes submittebant. At, quæ  
tra-